



f. 360<sup>a</sup>.







2

DE  
ASCENSV FLVIDORVM  
IN  
TVBIS CAPILLARIBVS  
COMMENTATIO PRIMA

QVAM  
PRO LOCO  
IN AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA  
OBTINENDO

DA. XXVIII. IVL. CICDCCCLXXIII.

PROPONIT  
PRAESES  
CHRISTOPHILVS BENEDICTVS

FVNCCIVS  
PHYSICES PROFESSOR PUBLICVS ORDINARIUS  
RESPONDENTE  
THEOPHILO SAMVELE FORBIGERO  
LIPSIENSIS  
PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE CVLTORE

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA

26

1773

ASCENSA ERADIORVM  
in  
TAVIS CALIFARIAS  
COMINTATIA PRIMA  
PRO LOCO  
IN VENISMA TACITATE PHYSOPHICAY  
SITUS INDO  
XXVII 1740 CLXXXIII  
TORTONI  
PRAESES  
CHRISTOPHILAS BENEDICTAS  
LANCICIAS  
THERONIUS SUMMUS TORRIGERO  
PHYSOPHICAE ET PHYSIQUE CULTOR  
ELISABETH  
OLICINA LACERNTIA





§. I.

Oigitanti mihi de arguento, quod potissimum tractarem et cum eruditis communicarem per hanc occasionem, occurrit exceptio a legibus hydrostaticis, reperta illa in tubis capillaribus; quae mihi eo magis inuestigatione digna visa est, quo magis est implicata, adeoque etiam physicom attentionem superiori et hoc seculo occupauit, ut diuersorum in rerum natura occurrentium et non nisi hac doctrina nientium phaenomenorum reddere possent rationem.

At vero non negandum est, eos, qui rem aggressi sunt, partim faciliorem eam, ac vere est, habuisse, partim si ad artificiosâ sua segmenta reuocare possent, omnibus numeris absolutam credidisse, partim tandem, quod plurimis contigit, ex experimentis non satis accurate institutis explicare conatos esse.

Neque etiam mirum, tam diuersos fuisse in hac explicatione physicos, quum phaenomena hue spectantia atque experimenta ex aliis naturae legibus et corporum proprietatibus imitatione facile exprimi possint; quae res vel hominem peritissimum a trita ad veritatem via abducere potest. Itaque nobis propositum est, ut primo videamus, quaenam sint hac in re obseruata, quaenam instituta experimenta, deinde quomodo ea sint explicata.

A 2

§. II.

## §. II.

Centum, et quod excurrit, anni sunt, ex quibus Physici obseruarunt 1) in tubulo vitro cylindrico, cuius diameter orificii decimam partem digiti Rhenolandici \*) non superat, si vel orificium tangat aquae superficiem, vel tubus demittatur in aquam, ascendere eam diuersimode supra libellam eius, quam tangit.  
 2) In tubis communicantibus, in quibus vi legum hydrostaticarum ad aequalem altitudinem ascendere debet aqua, idem fieri, si alter tubus sit capillaris.

## §. III.

Primus vero phaenomenorum in tubis capillaribus obseruator incertus multis diu fuit, atque honor inuentionis mox Gallis, e. g. a Roberto Boyle in Exp. Nou. Physico - Mech. XXXV. p. 331. \*\*) mox Ital. e. g. ab editore operum posthumorum Pascallii tribuitur. \*\*\*) Ante Pacalium saltem effectus tuborum capillarium incognitos fuisse putatum est, propterea, quod nihil libris eius de iis inest. Nuper vero de la Lande in libello singulari, qui inscribitur: *Dissertation sur la cause de l' elevation des liquueurs dans les tubes capillaires, Paris. 1770.* primum obseruatorum effectuum in tubis capillaribus nominauit quendam Italum, Nicolaum Aggiunti, primarium magni ducis Toscanae physicum, et ex fundatoribus academie del Cimento, qui iam die VI. Decembris 1710. mortuus fit.

## §. IV.

Et Sturmius quidem in *Collegio curioso*, P. I. Tent. VIII. primus, quantum nobis cognitum est, collegit, quae ante se et suo aeuo viderant Physici, vti iam monuit Georg. Bernh. Bulfingerus in dissertatione de tubulis capillaribus Tomo secundo Commentario.

\*) In tubis, quorum diametri e. g. sextam pollicis partem aequant, experimentum etiam procedit, Conf. s' Gravesande Phyl. El. T. I. L. I. c. V. E. 3. Quod et ipse vidi.

\*\*) Vid. Auctaria Colleg. Cur. Sturmii p. 77.

\*\*\*) Loco iam citato Auct. Sturm.

siorum Academiae Scientiarum Petropolitanae inserta; refertque pag. 44. septem phænomena recens obseruata haec:

1) in canaliculis vitreis vtrinque apertis aquam sive calidam sive frigidam supra reliquæ aquæ, canaliculum extra ambitus, superficiem notabiliter elevari,

2) in æstioribus canaliculis altius ascendere;

3) eo altius ascendere aquam in tubulo, quo altius emineat super aquæ superficiem tubulus; quod tamen, falsum nimurum, in Auðariis suo loco p. 79. reuocat, atque hanc differentiam altitudinis vix ac ne vix quidem esse sensibilem fatetur.

4) in brevioribus tubulis ascensum non fieri ultra canaliculi labia, nec effluere aquam, quanquam secundum regulam altius ascendere debeat;

5) ascensum esse altiore in tubo humectato quam in exsiccato;

6) aquam non ascendere, si digito canaliculus superne fuerit tecitus, remoto vero digito statim ascendere;

7) dum intra cylindrum laxiorem aqua plenum mergatur tubulus angustior, fieri, vt nunc intra laxiorem, nunc intra angustiorem altius eleuetur aqua, prout sc. minor maiore sit cavitas laxioris residua, quam cavitatis minoris;

NOTE Ceterum auctor ad Honorati Fabri Scient. Phys. Tract. V. Lib. II. Digress. 1. ad prop. 235 prouocat, vbi plura sint legenda, quorum etiam quaedam in Auðariis enumerat.

### §. V.

Isaacus Vossius in libro de Nili et aliorum fluminum origine, qui Hagae - Comitis MDCLXVI. prodiit, cap. 2. sequentes allegat obseruationes:

1) Qualis est proportio canalis (fig. 1 et 2.) C ad A, eadem quoque est proportio altitudinis AB ad altitudinem CD et contra.

2) Quantum aquæ fistula quaque aquæ immersa et exinde extraea potest sustinere, tantundem quoque aquæ fistulam ingreditur, ac supra libramentum alterius aquæ suspensum sustinetur.

3) Si hydrargyro inferantur istae fistulae, contrarium videtur est; non enim tantum non ascendit hydrargyrus, sed vero libra-

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

mentum eius aliquanto depresso est libramento hydrargyri foras ambientis. In vase quoque cornuformi (sive siphone) cuius alterum crus capillare est, hydrargyrus cruris arctioris depresso apparet, quam hydrargyrus cruris patentioris.

### §. VI.

Ioh. Adolph. Borellus in libro *de motionibus naturalibus & grauitate pendentibus*, Lugd. Bat. 1686. Prop. 182. p. 236, sequentes obseruationes proponit: „Postquam gracilissima fistula CD, (fig. 1.) contingit aquae superfieiem in C, videmus, quod subito aqua sensim ascendere incipit ad notabilem altitudinem CD, eiusdem cavitatis supra aquae subiectae libellam. Si vero praedicta cavitas prius humectata et madefacta fuerit, et denuo exinanita, subito post contactum multo altius et celerius aqua perpendiculariter elevatur, ac ascendebat in priori casu, quando interna fistulæ cavitatis arida erat. Praeterea si post aquae exulsionem transferatur fistula CD ab aqua ad aerem, non secus in ea perpendiculariter erecta fixe retinetur eadem aquae moles in eodem situ et altitudine, quam prius habebat.

### §. VII.

Neque praeterreundus est Iac. Bernoulli, qui quidem non tam nouas addidit obseruationes, quam acceptas nona methodo explicauit, de qua suo loco dicemus.

### §. VIII.

Secutus est Ludouicus Carré, qui cum socio Geoffroy experimenta instituit, narrata in Memoriis Academiae Scientiarum Parisinae ad annum 1700. pag 217. seqq. ed. Amstelodam. Vt usque est tribus tubis, quorum diameter primi =  $\frac{1}{2}$  lin. parisi. secundi  $\frac{1}{3}$ , et tertii  $\frac{1}{8}$ , viditur aquam ascendentem in primo ad altitudinem 10 lin. parisi, in secundo  $1\frac{1}{2}$  poll. parisi, et in tertio  $2\frac{1}{2}$  poll. parisi. Spiritus vini vero, quem etiam adhibuit, in primo tubulo modo ad  $3\frac{1}{2}$ , modo ad 4 linn.; Spiritus terebinth. ad 4 linn.; Oleum tartari per deliquium ad 5 linn. et supra; spiritus nitri ad 4 linn.; Oleum oliuarum ad 5 linn. ascendit; Mercurius



curius infra libellam remansit. Longitudo tubuli fuit  $12\frac{1}{2}$  poll.  
Porro, in tubulum, cuius parietes internos sebo liquefacto inun-  
ixerat, aqua non ascendit ultra libellam exterioris. Si partem su-  
perficiei tubi internae sebo illineret, aqua ex eo latere non ascen-  
dit, sed ex altero tantum, quo tubulus nihil sebi acceperat. Si  
tubulus profundius aquae immersus fuit, quam sebo vinctus erat,  
ascendit aqua supra libellam in tubulo. In tubulum sebo inunctum  
gutta nulla ingressa est per orificium superius. Instituit etiam ex-  
perimenta cum tubis capillaribus in spatio vacuo, quo vidit aquam  
eodem modo ascendere supra libellam. Praeterea obseruavit,  
longitudinem tuborum capillarium in ascensu fluidorum nihil mu-  
tare; namque in duobus tubis eiusdem diametri, sed diuerfæ  
longitudinis, alterius nempe  $12\frac{1}{2}$  poll. alterius vero  $9\frac{1}{2}$  poll.  
aquam ad eandem ascendere altitudinem vidit.

#### §. IX.

Iac. Iurinus diuersa nova phaenomena duobus tractatibus Phì-  
losoph. Transact. n. 355 et 363 insertis narrata detexit, quorum  
potiora haec sunt: Guttula mercurii tangens tabulam vitream co-  
haeret statim cum ea. Guttula mercurii tacta in punctis sibi op-  
positis a duabus tabulis vitreis cohaeret cum utraque et induit  
formam ellipticam. In tubo vitreo ex duobus inaequalium dia-  
metrorum tubulis composito aqua ascendit et permanet, si am-  
plius orificium a fig. 3. aquam tangit et tubus compositus longi-  
tudinem habet, e. g. saltem a c, ad quam aqua in parte angustiori  
ascendere valet; si vero pars tubi angustior b fig. 4. aquam tangit,  
eadem desfluit usque ad altitudinem a c, ad quam amplior tubi pars  
aquam in se continere valet. Vas amplum fig. 5. etiam fieri cu-  
rauit, quod in tubum capillarem terminetur, mno altitudinis  
rq minoris ea pq, ad quam aqua ascendet, si loco vasis am-  
plioris substituatur tubus capillaris nq; quod si immergatur aquae  
usque ad r, vt impleatur totum aqua, ascendet etiam in tubum  
capillarem, et, vase ex aqua verticaliter extracto, aqua non de-  
fluet, sed tota eius moles in vase usque ad p continebitur. Plura ad-  
huc experimenta instituit, in tabulis vitreis, cum mercurio, nec  
non

❖ ❖ ❖

non in loco aere vacuo, et rel. quae vero cum sint repetita a Bulsingero, mox de iis dicemus.

### §. X.

Georg. Bernh. Bulsingerus nempe in dissertatione supra ladata, atque in notis ad Iurini disquisitiones physicas de tubulis capillaribus ad Academiam Petropolitanam transmissas, in Commentarij eiusdem Acad. T. III. p. 281 seqq. repetit ea quae iam Iurinus viderat: in tubis conformibus, sive amplior pars mergatur, sive strictior, semper eleuari aquam, quantum conuenit illi sectioni fistulae, quam suprema attingit aqua; et, si totus tubus mergatur et extrahatur dígito obturatus, remoto dígito aquam reliquam defluere usque ad altitudinem iam dictam; Idem cum mercurio fieri. Experimentis etiam in pondera tubulorum capillarium aqua impletorum inquisivit, sed nihil hoc conatu effecisse ipse fatetur. Deinde experimentis sollicite factis edoctus affirmit, tantundem praeceps aquae eleuari in tubo, quantum comprehendat gutta maxima, quae ex tubo illo pendens adhuc sustentari possit, casura vero sit, quamprimum augeatur. In fistulis siccioribus aqua ascendit primo in parietibus, non in medio tubuli, et quidem valde inaequaliter. Aqua in omnibus tubulis post elevationem habet superne concavam superficiem. In siphone capillari ascendit aqua ad altitudinem eandem in crure longiore, sive integrum conserues siphunculum, sive abrumpas a longiore crus breuius. In vacuo et libero aere ascendit aqua in tubulum aequo amplius et humectatum ad eandem altitudinem, sive mersus sit profunde tubulus sive attingat solum supremam aquae superficiem. Aqua in tubos longiores ad maiorem altitudinem non ascendit, quam in breuiores.

### §. XI.

Muschenbrockius multas obseruationes et experimenta in dissertationibus duabus, altera de tubis capillaribus vitreis, altera de attractione speculorum planorum vitreorum collegit, nouisque etiam hanc doctrinam experimentis muniuit; quorum potiora haec sunt: Tubus vel paullo infra aquae superficiem, vel profundius aquae

9

aquae immersus aquam in se recepit ad altitudinem eandem a superficie. Aqua frigida ad eandem altitudinem ascendit ac feruens. Tubus sicce vel humidus aquam absque vlla differentia altitudinis in se recipit. Si iuxta externam superficiem tubi, perpendiculariter ad horizontem suspensi, gurta aquae defluat deorū, haec perueniens ad oram infimam, sursum in tubi cauum rapitur ad altitudinem antea obseruatam. Quod quidem iam Carreus et Petetus viderunt. Aqua manet immota, sive orificium supremum hermetice claudatur, sive istud obturaculum diffingatur. In tubo clauso nihil intrat. In tubo longiori aqua stat altius, quam in breuiori eiusdem diametri. In veteribus tubis aqua vel aegre vel non ascendit, nec tubo inuerso, ut in nouis tubis, defluit. Ascensus aquae in tubos capillares sit motu retardato, sub initium celerrime, deinde tardius, denique tardissime. Liquor eo velocius in tubos ascendit, quo hi longiores sunt. Quo diutius stat tabulus, eo maior est altitudo, ad quam aqua eleuatur. Quantitates aquae eleuatae sunt in ratione diameterorum. Ascenderunt in tubo minori  $\frac{1}{2}$  lineae, longitudinis 43 linn. rhenoland.

	Grau. specif.
Vrina sani hominis matutina ad 33 vel 34 lin.	1030
Spiritus salis ammoniaci	1120
Oleum vitrioli	1700
Aqua	1000
Oleum tartari per deliquium	1550
Oleum vulgare raparum	913
Spiritus Nitri Glauberi	1315
Alcohol vini purum	866
Oleum Aetherum Terebinth.	874
Mercurius ad — o sive minus nihilo	14000

Altitudines Mercurii sunt in ratione reciproca diameterorum tuborum. Experimenta eisdem ostendunt effectus, sive instituantur cum aqua vulgari, sive cum aqua, ex qua eductus est aer. In tubis quoquis modo inflexis sed aequalis diametri aqua ad eandem altitudinem ascendit, ad quam in rectis eiusdem diametri. Ex

siphonibus capillaribus nihil aquae effluit, etiam si altitudo perpendicularis minor sit ea, ad quam aqua possit eleuari. Si siphonis capillaris rubus longior stat in aqua, nihil effluit. Ex siphone capillari aqua impleto et in aere suspenso nihil effluit. Si utrique siphonis capillaris orificio applicatur aqua; nihil eius intrat et ascendit. Omnia haec fiunt eodem modo in cruribus siphonum rectis et incurvatis. Repetit idem auctor experimenta reliqua a Boyleo, s' Grauesandio, Carreto, Petito et Fayo in spatio vacuo instituta, atque inuenit altitudines in tubis diversarum diametrorum in ratione inversa diametrorum, ut in aere aperto; addit etiam nouum experimentum, ex quo concludit: in vacuo liquores in tubos longiores altius ascendere, quam in breuiores. In introductione ad philos. natur. T. I. p. 370. a. 1762. ex Martini Philos. Brittan. Sect. I. p. 21. obseruationem allegat sequentem: „Vis fluida in tubos capillares abripiens et retinens est adeo valida, ut aqua eos impleuerit, tumque in radiis solis 7 vel 8 mensium suspendatur, ab eius calore aqua nec auoleret, nec in vapores vertatur.

Sed sufficiant haec. De experimentis Weitbrechtii, Gelerti et Landii alio loco dicam. Supersunt adhuc, qui eadem de re scriperunt. Enim uero cum aliis neque noua experimenta instituerint, neque etiam aliud quid egerint, nisi quod in alienis experimentis acquisicerent, aliis vero opiniones suas diversis libris disperferint, iudicio de iis omni mihi videor supercedere.

### §. XII.

Pergamus ad explicandi rationes, quibus usi sunt auctores ante nominati.

Sturmius cum Honorato Fabri et aliis in aere quaerit caussam diversorum in tubis capillaribus phaenomenorum. Putat nempe: (vid. ei. lib. et loc. supra cit.) 1) „aerem non solum grauem esse, secundum singulas sui partes, sed etiam in his inferioribus prope terram, propter incumbentem superiorum molem, admodum compressum; atque adeo haec duo in aere infimo, compressio-

, nem

„nem scilicet et gravitatem, probe ab iniucem distinguaenda esse;  
„2) gravitatem agere in seruando aut destruendo aequilibrio flu-  
„dorum non secundum molem et multitudinem, sed secundum al-  
„titudinem tantum et secundum lineam perpendiculararem; Com-  
„pressum autem corpus quaquaerum vrgere et tanto magis,  
„quanto est copiosius., Sed facile detegitur error, quia primo  
ex dictis sequeretur, in omnibus tubis vel non capillaribus, quo-  
rum diameter multo minor sit, quam diameter vasis aqua adim-  
pleti, cuius superficiem contingunt tubi, aquam debere altius  
ascendere quam in vase. Deinde: in tubo capillari superficiem  
maris contingente aquam ad altitudinem infinitam ascendere de-  
bere. Neutrum tamen fieri satis constat. Et quanquam non ne-  
gandum sit, aeri inesse proprietates, quea experientia hoc per-  
tinentia vel imitari, vel impedire possint; vt e. g. aqua in omni-  
bus tubis, siue sint capillares, siue non sint, ad ascensum vrgeri  
potest sola aeris interni vel condensatione vel rarefactione, si ap-  
plicetur embolus vel superiori vel inferiori tubi orificio; tamen  
hoc loco non quaeftio est de aeris in tubis capillaribus, sed de  
aquea effeditibus, nulla aeris ratione habita. Namque quaeritur  
de caufa, quea facit, vt in tubo capillari vtrinque aperto, siue  
in rarioi siue in densiori aere constituto, ascendat aqua supra li-  
bellam. Adeoque etiam ad explicationem caufae huius ascensus  
quaesitae nihil valet autoris Phaenomenon: Si orificium capillaris  
tubi superius vel digito vel hermetice vel alio modo claudatur,  
nullus oritur, ne ad libellum quidem, aquae ascensus, et rel.  
Experimenta enim cum tubis capillaribus ope antliae pneumaticae  
instituta ostendunt: ascensum aquae in tubis capillaribus fieri co-  
dem modo in aere densiori, quo sit in rarioi. Iam vero cum in  
hoc sub campana antliae inclusio spatio, in quo tubi capillares con-  
stituantur, facile impediri possit, ne incumbat superior aeris mo-  
les et comprimatur aer circa tubos capillares, facile error Sturmii  
et Fabri sub no. 1. patet. Eodem modo ea cadant, quae sub  
no. 2. afferuntur. Ceterum compressum corpus si etiam quaqua-  
erum vrgatur, tamen id non sit tanto magis, quanto est copio-  
sus, sed potius corpus ab eadem vi, siue ea sit gravitatis, siue

alius generis vis, tanto minus vrgetur, quanto ipsum est copiosius.  
Namque effectus respondere debet causae.

Postis supra allatis auctor ita pergit: „Hinc, quia exterior aer in superficiem aquae *mn* fig. 6. vasis, cui insilit tubus capillaris *AB*, liberum accessum habet, et in maxima copia, ad virginem aquam subiectam, cum interiore aquam *ab*, non nisi ea pars aeris, quam conus *IHK* complectitur, attingere possit; necessum est interior illa aqua, quae minus vrgetur, ab exteriore, quam magis vrget incumbens maior aeris moles, superata in altum eleuetur.” Attamen, ut nihil dicam de assumta hac diversa aeris in superficiem *mn* vasis et interioris aquae *ab* pressione, falsum aliquod inde sequitur et quod contrariatur observationibus, nempe in siphonibus, cuius alterum crus est capillare. Impletur enim siphon, *ABCD* fig. 7, cuius crus *BC* sit capillare, aqua usque ad *ab*, ascendat ea in capillari ad *cd* eandem altitudinem, ad quam pertinet in tubulo eiusdem diametri, cuius orificium inferius tangit superficiem vel maximam vasis. Iam vero si ex mente auctoris aer externus in superficiem *ab* non haberet liberum accessum, sed conus aereus *EDAF* eam tantum premeret, aqua in capillari crure ad *cd* usque ascendere nullo modo posset.

Ex quanto autem Sturmii experimento satis apparet, non aerem sed aliam caussam producere ascensum aquae in tubo capillari. Nam, quod in fontibus artificiosis videmus, aeris pressio facile aquam cogit ut ascendat; cum vero id hoc loco non fiat, sequitur aerem non esse istius ascensus caussam. Pertinet hoc experimentum, quod ipse instituit cum siphone *ABCD* fig. 8. cuius alterum crus *BC* capillare et breuius est ampliore *DAB*. Quodsi aqua in ampliori usque ad *ab* ascendit, eadem iam in capillari oram *C* pertingit; Si assundatur plus aquae in ampliori, nihil effluet ex orificio *C*, donec stet supra *ed* et *edC* sit in plano horizontali parallelo. Ceterum id ipsum experimentum eo, quo inventum est, tempore importunum satis venit, quod ardor inueniendi perpetui mobilis, quo tum vrebantur physici, simul delebatur; unde eriam iam Honoratus Fabri \*) reiicit omnem spem, si quis forte sibi persuaderet, in tubulo breuiore, quam suisset

\*) Vid. Sturmius 1. c.

„aquae

„aquaæ altitudo intra alium aequæ angustum sed eleuatiorem,  
„aquam debere supra labia attolli; et sic elapsam ad ima redire,  
„nulla iam cauſa apparente finienda huius circulationis.“ Tamen  
si aer est in cauſa, diuersa fluida ascendere deberent in eo-  
dem tubo in inuersa grauitatum specificarum ratione. De reli-  
quis, quas ex suppositis deducit auctor, conclusionibus, quia ex  
dictis facile diiudicantur, dicere non atinet.

§. XIII.

Isaacus Vossius in libro supra citato cauſam ascensus aquae  
in tubis capillaribus tribuit „viscoſitati aquae, vi cuius vnicuique  
rei, quam contingit, adeoque etiam vitro adhaereat, et ab eo  
ſustineatur. Et quia, pergit auctor, a vitro ſustinetur, non pre-  
mit aquam ſubiectam; idem enim pondus non potest duobus lo-  
cis simul premere, cum nullum corpus grauius sit ſeipſo. Illa  
itaque aquae portio, quae ſubit fiſtulas, grauat vitrum, cuius la-  
teribus adhaeret, reſpectu vero aquae ſubiectae caret pondere.  
Patet hoc ex eo, quod, si quis iſtas fiſtulas aquæ immergat et  
deinde extrahat, non omnis effluat humor, ſed quantum latera  
ſustinere poſſint, tantum quoque remaneat.“ Sed auctor aquae  
viscoſitatem non ſatis probat, namque non verum eſt, eam vni-  
cuique rei, quam attingat, adhaerere, quod ex Carrei experi-  
mentis ſupra enumeratis, et aliis patet. Deinde non statim fe-  
quitur: particulas aqueas a vitro ſustentas non premere aquam  
ſubiectam; quod iam Weitbrechtus in diſſertatione priore, „Ten-  
tamen theorie, qua ascensus aquae in tubis capillaribus expli-  
catur,“ inſcripta,<sup>\*)</sup> Prop. 22. Schol. vidit et refutauit. Namque  
iſtae particulae, ſi conſiderari debent ut pondicula, ſeſe oppo-  
nunt, ne aliae particulae ſuis locis intrent; adeoque hoc modo  
premit aqua ſubiecta, nec reſpectu eius portio ea, quae ſubit  
fiſtulas, caret pondere, inde etiam aequilibrium inter aquam in  
vafe et tubo capillari nullo modo rumpitur. Inquiramus calcu-  
lo in ſupposita auctoris: Ponatur fig. 7. diameter C cruris capilla-  
ris d, diameter AD cruris amplioris d+f, altitudo vtriusque cru-

B 3

ris

<sup>\*)</sup> In Commentarij Petropoliti. Tom. VIII. p. 261 ſeqq.

ris aequalis, A, erit itaque internus paries tubi amplioris  
 $\equiv (d + f)Ap$ , posita diametri ad peripheriam ratione  $\equiv 1:p$ ,  
 et paries internus cruris capillaris  $\equiv dAp$ . Iam itaque grauatur  
 ex mente auctoris cruris amplioris paries pondere aquae  
 $\equiv (d + f)Aq$ , (vbi q pro vnitate ponderis ponitur,) et paries  
 cruris capillaris pondere aquae  $\equiv dAq$ . Sed massa aquae in cru-  
 re ampliori est  $\frac{(d + f)^2 Aq}{4}$  et in capillari  $\frac{d^2 Aq}{4}$ ; Et cum

ex mente auctoris particulae, adhaerentes parietibus, grauitate  
 destituuntur, restant in crure ampliori particulae aqueae grauitate  
 sua agentes  $\frac{(d + f)^2 Aq}{4} - (d + f)Aq$   
 $\equiv (d + f - 4) \times \frac{(d + f)Aq}{4}$ , et in tubo capillari  $\frac{d^2 Aq}{4}$   
 $\equiv dAq = (d - 4) \times \frac{dAq}{4}$ ; cum vero in crure capillari aqua

ad cd ascendat, si in ampliori tantum usque ad ab peruenit, erit  
 massa aquae tubi amplioris infra ab pars totius, quae iam sub cal-  
 culum fuit vocata. Sit haec mta pars, ergo foret aequilibrium, si  
 ponderum in vitroque tubo ratio esset

$$(d + f - 4) \times \frac{(d + f) \times Aq}{4m} : (d - 4) \times \frac{dAq}{4}$$

hoc est  
 $\equiv (d + f)^2 - 4(d + f) : (d^2 - 4d)m$ . At vero ita aequili-  
 brium seruari nullo modo potest. Accedit, quod experimen-  
 tum §. XII. ad fig. 8. explicatum ostendit, non ascendere aquam  
 supra C, si crus amplius vel usque ad AD aqua impletatur. Ergo  
 sequeretur aequilibrium etiam, si ratio ponderum esset  $\equiv (d + f)^2$   
 $- 4(d + f) : d^2 - 4d$ . Quod utrumque fieri nequit. Ergo ni-  
 hil efficit auctor, nec ascendere potest aqua ea de causa, quod  
 sius particulae, quae in vitrum intrant, careant pondere.

Inquisuit etiam auctor in caussam, quae facit, vt hydrargy-  
 rus non ascendat in tubulis, sed infra libellam remaneat, hoc  
 modo: „Cum hydrargyrus careat illa viscositate, minimeque vi-  
 tro adhaereat et infuper conatus ille, quo aequilibrium affectat,

re-

„retardetur et retundatur ab angustia fistulae exiliioris, nequaquam  
„mirum videri debet, si minus alte in fistulis, quam in spatiis la-  
„tis, et minus in minutis, quam in laxis ascendet canalibus.“ At  
vero hydrargyrus omnino adhaeret vitro, quod inde patet, quia  
a pleno vitro globulus mercurialis non defluit, nisi id ad angu-  
lum minorem cum horizonte inclinetur. Ergo auctoris explica-  
tio nihil valet.

#### §. XIV.

Borellus in libro supra citato de motibus naturalibus a gravitate fa-  
elis sex propositionibus a CLXXXIII ad CLXXXVIII. de tubis capillari-  
bus agit, et demonstrare studet, „quam in fistulis non ascendere spon-  
te sua a vi motu particularum eius impulta, neque insinuari, re-  
tinerique ibidem ab aequilibrio aeris, aut ab internis canaliculi  
asperitatibus“ et quidem propterea, quia, ut experimenta docent,  
ex fistula in aere constituta aqua, que retineri poterat, statim de-  
fluit, si inferiori orificio applicetur alia fistula. Quod facile con-  
cedi potest. At vero, ubi ad explicandam rationem, quare aqua  
ab ima parte fistulae in aere constitutae non defluat, ita argumen-  
tatur: „in infimo fistulae orificio machinulae lanuginis particula-  
rum inter se connexae distracthuntur, et ideo tenaciori resistentia  
vinciuntur et efficiunt veluti rete adhaerens extremo fistulae, et  
quia vis praeditarum machinularum violenter distractarum maior  
est vi ponderis exigui aquae intra fistulam contentae, hinc sequi-  
tur aquae quies &c.“ non audiendus est, cum lanugo haec par-  
ticularum aquearum, eius machinulae atque nexus inde rete non  
nisi figura sint et demonstrari nequeant.

Causam deinde motuum, quam dicit, a qua sursum impel-  
latur aqua in fistulis, ponit in interno aquae grandi et ampio con-  
tactu, respectu illius aquae moleculae ibidem existentis, unde haec  
aqua reddatur aliquo pacto leuis seu minus ponderosa, quam sit  
aqua collateralis libere premens. Has particulas aquas minimas  
porositatibus et asperitatibus internis annixas operari putat ut tot-  
idem vectes, qui flecti possint et interne rotari, ut adeo partes  
aquaee collaterales magis comprimentur, et impellantur eae sur-  
sum, quae a vectibus minus comprimentur, eaque ratione effor-  
ment



ment tumorem ad latera fistulae; et sic de novo, donec ad supremam et maximam illam altitudinem aqua perducta sit, in qua aequilibrium cum aqua collaterali libere premente efficiatur, ubi quies eius subsequatur. Grandis quidem autoris et amplius contactus particularum aquearum cum vitro in tubis capillaribus negligendus non est, et grandior quam in tubis amplioribus, tamen ex hoc contactu non statim earum cohaerentia cum vitro sequitur, neque ex ea iterum levitas earum maior quam vicinarum, quod iam dictum est. Deinde vero etiam perperam particulas aquae creat vestes, qui flecti possint et rotari, neque contra talia figura menta, quae aetatem suam sapient, disputare opus est.

## §. XV.

Iacobus Bernoulli in dissertatione de gravitate aetheris 1683 edita pag. 239. ita philosophari dicunt apud Bulsingherum in dissertatione de tubis capillaribus: „Sit abed fig. 9. fistula cylindrica immersa superficie aquae stagnantis ed, cui insistat alius præterea cylindrus similis atmosphaericus egh. Fingamus autem virtusque diametrum in se recipere certum numerum particularum aerearum, v. g. septem, ita ut septem tales particulae (quas sphaericas nunc esse suppono) in directum positae exhaustant cylindrorum latitudinem, notabimusque rarissimum esse contingens, si globuli isti ita sint dispositi, ut extremitati præcise radant tubi latera, atque omnes septem sine obstaculo in eius cauitatem admittantur; plerumque enim, imo semper continget, ut summi cylindrorum margines vtrinque primum et octauum excipientes nonnisi sex intermedii transitum præbeant. Quod et intelligendum de quibus alia assignabili serie globulorum, quorum perpetuo bini extremiti in cylindrorum margines incidere subsumi debent. Hinc etenim fieri, ut totus ille globulorum orbis, qui circumferentiam supremi orificii fistulae occupat, cum tota globulorum catena perpendiculariter sibi imminentem am, bn, omnem suam pressionem terminet in summitate laterum fistulae, neque possit pertingere ad liquorem subiectum qr, qui proinde ea tantum pressione afficitur, quae proficiunt potest a cylindro perero diametrum op sex duntaxat globulorum obtinente. Alter

„ter vero se res habet in cylindro aëreo *efgh*, extra fistulam assumto in alia quadam parte superficie stagnantis aquae, vbi extremi globuli ab eius lateribus *ge* et *hf*, quae pure sunt imaginaria, non impediuntur, quin libere defluant, et tota sua latitudine super liquore subiecto grauitent. Cui consequens est, ut liquor extra fistulam tanto maiore pressione afficiatur, quam qui intra fistulae latera conclusus est, quanto numerus globulorum illi in cumbentium excedit numerum globulorum super hoc prementium: Vnde liquor ab externa pressione praeualente semper non nihil altius impellendus in tubum.“

Iam primo quidem non nego, me fidis istis particulis, earumque figurae fidiae valde diffidere, neque mihi persuadere posse, prouenturum inde esse aliquid veri. Et nimirum omnis argumentatio viri leui isto fundamento: *rariſſimum eſſe contingens*, ut aliquid nempe fiat contra hypothesis suam, *plerumque enim, imo ſemper* cum ea conuenire rem. Ergo ipſe diffidit auctor. Atque quomodo explicabit auctor *rariſſimum* tale *contingens*, si quando contingat? — Sed videamus, quid lucretur auctor fidis suis sphæricis particulis aëris. Scilicet, ut ex serie earum a margine cylindri eius, qui capit aquam, vtrique una eliciatur, et transitus tantum reliquias præbeatur. Ast istae particulae debent assumi infinite paruae. Iam si paries internus tubi habet cavitates in aspero, sive planio (quod non plerumque sed semper sic est) ut capere, facile reliquias possit particulas, quas auctor explicationis cauſa elicit, statim cadit eius sententia. Neque vero eriam ex defectu paucarum quarundam particularum aerearum tam exiguarum exceptio tanti momenti sequitur.

Quod vero huic Bernouillanae hypothesis maxime nocet, est, quod inde sequatur, vt auctor ipſe fatetur: liquores specificē leuiores ceteris paribus altius atrolli debere grauioribus, ea proportionē, quae est inter specificas eorum grauitates; quod omnibus obſervationib⁹ contradicit. Namque testibus Muschenbrockio, Weitbrechtio &c. res multo aliter se habet; et in tabula Muschenbrockii supra allata hunc seruare deberent ordinem fluida:

C

Grav.

	Grav. spec.
Alcohol vini purum	866
Oleum Aethereum Terebinth.	874
Oleum vulgare raparum	913
Aqua	1000
Vrina fani hominis matutina	1030
Spiritus salis ammoniaci	1120
Spiritus nitri Glauberi	1315
Oleum tartari per deliquium	1550
Oleum vitrioli	1700
Mercurius	14000

Itaque aut hypothesis nihil valet, aut caetera non sunt paria.

Neque etiam locum habere haec explicatio potest in tubulis capillaribus conicis. An vero ex iisdem effectibus, quos offendunt fluida in tubis capillaribus loco aere vacuo, aliquid vel pro hac hypothesi vel contra eam sequatur, in suspenso relinquo.

### §. XVI.

Ludouicus Carrée ex experimentis supra enumeratis concludit: aërem non esse ascensus fluidi causam in tubis capillaribus, quia 1) longitudo tubuli nihil mutat, 2) ascensus in spatio aere vacuo augetur potius, quam minuitur, 3) in tubulum sebo inundatum aqua non nisi ad libellam cum exteriori aqua ascendit; sed dari potius adhaesionem aquae cum vitro pro certo habet, vi cuius sustentetur portio aquae tangens vitrum, quae adeo iam non amplius aquam vasis, cui tubus insit, tantum premat, quantum reliquae portiones. Has vero eleuare putat reliquam aquam, ut compensetur altitudine, quod perditum sit pondere propter adhaesionem. Ex hac hypothesi multa avdor phaenomena elicit, Vt e. g. explicet: in tubulis angustioribus aquam ascendere altius, quam in amplioribus, hac argumentandi ratione vtitur: Vis adhaesioneis mensuratur ex superficie tubuli interna et resistentia ex pondere columnarum aquae in tubulo contentae; haec vero in ratione duplicata diametri, ita in simplici est. Sic etiam non quaestio solum facile soluitur: cur aqua non ad parietes tubi exter-

ter-

ternos ad altitudinem eandem ascendat quam ad parietes internos,  
sed et diuersae aliæ.

Sed quanquam haec hypothesis multa explicare videtur, ta-  
men veritati contradicit, si calculo inuestigatur. Ponamus itaque  
cum Bulsingerio diametrum orificii tubi capillaris cylindrici  $2b$ ,  
altitudinem aquae supra libellam  $d$ , latitudinem annuli aquei pa-  
rietalibus tubi contigui, cuius pondus ad partes sustentatur a vitro  
 $c$ , profunditatem immersionis orificii inferioris in aquam  $a$ , ra-  
tionem diametri ad peripheriam  $1:\pi$ . Iam ex hypothesi auto-  
ris particulae aquae eae, quae vtrinque parietibus adhaerent, su-  
stentantur etiam, nec ita grauitant fundum vasis, quam reliquæ  
aqueæ columellæ; quia omne corpus *de* (fig. 10.) cuius cen-  
trum grauitatis  $c$ , et quod innitatur vna sua extremitate puncto  $d$   
superficie verticali  $ab$ , sustentari putat in puncto  $e$  per aliquam  
potentiam  $x$ , ita vt sit  $x$  ad grauitatem corporis, quod deorsum  
premit,  $p = dc : de$ , vnde, si ponatur  $\frac{dc}{de} = m = \frac{x}{p}$  oritur

$$mp = x. \text{ Iam itaque pressio columnae aquae externae, cuius } \\ \text{basis orificio tubuli } (= \pi b^2), \text{ altitudo vero profunditati immersio-} \\ \text{nис } a \text{ aequaret, erit } = \pi b^2 p; \text{ cui, vt fiat aequilibrium, ae-} \\ \text{qualis esse debet pressio columnae aquae in tubo contentae.} \\ \text{Sed haec pressio pendet 1) ab annulo, cuius altitudo } a + d, \text{ basis} \\ \text{vero aequalis est superficie circuli, cuius radius est } b, \text{ demta superfi-} \\ \text{cie circuli cuius radius est } b - c, \text{ hoc est: } \pi b^2 - \pi(b - c)^2 \\ = \pi(2bc - c^2), \text{ adeoque pondus eius } \pi(2bc - c^2)(a + d)m \\ \text{erit; 2) a nucleo aquae cylindrico intra predictum annulum in-} \\ \text{cluso, cuius diameter baseos est } 2(b - c) \text{ et altitudo } a + d, \text{ ergo} \\ \text{haec pressio } = \pi(b - c)^2(a + d)p. \text{ Inde orietur iam } a\pi b^2 p \\ = \pi(2bc - c^2)(a + d)m + \pi(b - c)^2(a + d)p, \text{ vel} \\ ab^2 = (2bc - c^2)(a + d)m + (b - c)^2(a + d). \text{ Vnde}$$

$$\frac{ab^2}{(2bc - c^2)m + (b - c)^2} = a + d \text{ et } \frac{ab^2}{(2bc - c^2)m + (b - c)^2}$$

$- a = d$ . Sed inde fluunt falsa. Nam 1) mutato  $a$ , manentibus  
 $b, c$  et  $m$ , mutaretur  $d$ , hoc est: mutata profunditate immersionis  
tubi mutaretur aquæ supra libellam altitudo. Quod obserua-  
C 2 nibus

nibus contrariatur. 2) ob  $\frac{ab^2}{a+d} = (abc - c^2)m + (b-c)^2$   
 $= 2mbc - mc^2 + b^2 - 2bc + c^2$  erit  $\frac{ab^2}{a+d} - b^2(2mb - 2b)c + (1-m)c^2$ , hoc est:  $\frac{-b^2d}{a+d} = (1-m)c^2 + (m-1)2bc = (1-m)c^2 - (1-m)2bc$ . Inde  
 $\frac{-b^2d}{(a+d)(1-m)} = c^2 - 2bc$  et  $\sqrt{\left[ b^2 - \frac{b^2d}{(a+d)(1-m)} \right]} = c - b$  adeoque  $b - b\sqrt{\left[ 1 - \frac{d}{(a+d)(1-m)} \right]} = c$ . Mu-  
tato itaque  $a$  mutaretur etiam  $c$ ; quod fieri quidem possit, at vero nulla sane adesset causa. Itaque et haec Carrei explicandi ratio veritati contradicere videtur.

## §. XVII.

Pergamus ad Hauksbeii et Iurini, qui fere in explicandis his phaenomenis inter se conueniunt, supposita atque methodum. Hi Angli ex Newtoniana attractionis lege peti posse putarunt fundatum explicationis quaesitae. At vero non statim applicanda mihi videtur haec naturae lex, sed cautio adhibenda. Quodsi enim vis attractionis est in ratione massae attrahentis, non in longioribus tubis solum, sed maxime etiam in iis, quorum parietes crassi sunt, sequitur, fluidum altius esse ascensurum quam in brevioribus et iis, quibus sunt parietes graciles, positis aequalibus orificiis diametris; Quod est contra observationes, nam neque in longioribus tubis, neque in iis, quorum parietes diueriae sunt crassitie, diuersa altitudo obseruatur, si habeant aequalia oricia. Ergo saltem exceptio haec explicanda erat iis, quibus attractionis legem hoc loco amplecti placebat.

Ceterum bene Iurinus distinguit inter ascensum et sustentationem aquae; et ad ascensum quidem quod attinet explicandum, aquam vitreo parieti interno tubi contiguam amittere gravitatem suam putat, ut pressione aquae in vase, cui insitit tubus, sursum

❖ ❖ ❖

sum cedat, vbi ab annulo proxime sequenti vitro interno attrahatur, et sic porro. Sustentationem vero in sola vitri peripheria ea quaerit, quam summa superficies cylindri aquei tangit; quam sententiam monitu quorundam amicorum ita corrigit sub finem libelli supra allati, ut loco peripheriae assumat tenuem superficiem, cuius basis sit peripheria summa aquae in tubo, altitudo vero distantia, ad quam extenditur vis attractiva vitri: „*That, inquit, what I call a Periphery, or Section of the concave Surface of the Tube, is really a small surface, whose Base is that Periphery, and whose height is the distance, to which the attractive power of the Glass is extended.*” Demonstrare nempe vult ex experimentis cum tubis diuersarum diametrorum figg. 3. 4. supra allatis attractionem non pendere ab interiori tubi superficie, quia alias experimentum fig. 4. ab eo, quod fig. 3. depingitur, diuersum non foret, sed in vitroque casu aqua ad eandem altitudinem alcederer, cum eadem interna tubi superficies maneat.

### §. XVIII.

Recensenda iam esset Bulsingeri explicatio, cuius spem fecerat in priore dissertationum allatarum his verbis: „Quid mihi videatur exponam dissertatione secunda, quae plura etiam de his tubulis experimenta continebit, et conclusiones aliquot eisdem superstruet;” Sed in notis ad disquisitiones physicas de tubis capillaribus a Iacobo Iurino ad academiam transmisas et Tom. III. Commentarii insertas, Iurini, cui in priore dissertatione contradixerat, explicationem his verbis laudat, suamque ipsius mentem satis declarat: „1) Nullum ego de Capillaribus experimentum noui, quod huic expositioni repugnet. 2) Non dubito, quin specialia omnia possint ad hoc generale attractionis phaenomena non reduci, et ex illo explicari. 3) Non intercedo, si quis generalem corpusculorum minimorum ad se inuicem accessum statuat, Neque 4) vocem attractionis odi, modo 5) leges illius attractionis pro singulis corporum speciebus circumspecte eruantur ex phaenomenis, vti factum esse a Cel. Iurino vidimus. Tum vero 6) quemadmodum pro mea coniectatione generalis corpusculorum accessus pendet ab actione fluidi subtilis,

C 3

„cuius

\* \* \*

„cuius leges nondum exploratae sunt: Ita 7) in specialibus casibus tentandum puto, annon inuestigari causa physica possit, quae attractionem illam ex. gr. aquae ad vitrum praefert. Facit hoc 8) ad plenitudinem, si non conuictionis, saltem acquiescentiae in data phaenomenorum solutione. Ita igitur 9) in Cel. Iurini expositione nihil reprehendo. Optime de hoc arguento meritus est, dum speciale phaenomenon ad generalem naturae consuetudinem feliciter exegit. Supereft 10) ad solutionem perfectam, vt aliquando attractionis generaliter sumtae causam physicam, et leges, modum, mensurasque et conditiones applicationis ad specialia philosophi eruant. Id donec perfecerit posterorum industria, fruamur praesentibus.

### §. XIX.

Muschenbrockius, cautus alias naturae scrutator, tamen, quia in capiendis huius generis experimentis falsus est, in explicanda ascensus in tubos capillares causam peccasse nobis videntur. Seriem vero propositionum suarum ex experimentis petitarum hanc fere dedit: Causa eleuans aquam est determinatae virtutis et constans, eademque in tubo sicissimo et humido; nec habet in se causam sui ascensus, neque calor et frigus aquae aliquid mutat; manet aqua suspensa ad eandem altitudinem, ad quam post contactum cum superficie in aqua vase ascendet. Aer in his tubulis continetur eiusdem densitatis cum aere ambiente reliqua atmosphaerae. Causa eleuans aquam per totam tubi longitudinem est diffusa; quo igitur longior tubus exsilit, eo maior quantitas virium aquam eleuantium datur. Inuestigemus hoc experimentum paullo diligentius; Modum nempe, quo usus est auctor ita describit: „Tubus, cuius longitudo 3 $\frac{1}{2}$  pollicum (intell. Rhenolandicorum) ad altitudinem 20 linearum in se rapuit aquam, cum ab eodem amputata erat pars superior, secca; tumque educta aqua, orificium inferius iterum aquae immissum fuit, altitudines obseruatae sunt sequentes:

1) Tu-

## 1) Tubi longitudine poll. lin. Ascensus aquae ad poll. lin.

3 . 6	—	1 . 8
2 . 0	—	1 . 6
1 . 0	—	0 . 10 vel 10 $\frac{1}{5}$
0 . 9	—	0 . 8
0 . 6	—	0 . 5 $\frac{1}{2}$
0 . 2 $\frac{1}{2}$	—	0 . 2 $\frac{1}{2}$

2) Cum alio tubo, cuius diameter erat  $\frac{1}{2}$  linea

7 . 6	—	4 . 7 $\frac{1}{2}$
6 . 0	—	4 . 4 $\frac{1}{2}$
5 . 0	—	4 . 2 $\frac{1}{2}$
4 . 5	—	4 . 1 $\frac{1}{2}$

## 3) Cum alio tubo aliquantum latiori

24 . 0	—	3 $\frac{2}{5}$
11 . 0	—	3 $\frac{7}{10}$
8 . 6	—	3 $\frac{1}{5}$
7 . 0	—	3 $\frac{1}{2}$
6 . 0	—	3 $\frac{1}{3}$
4 . 6	—	3 $\frac{1}{2}$
4 . 0	—	3 $\frac{1}{3}$
3 . 0	—	fere ad orificium usque.

## 4) Cum alio tubo confecto ex alio vitri genere

24 . 0	—	3 $\frac{2}{5}$
12 . 0	—	3 $\frac{5}{10}$
11 . 0	—	3 $\frac{3}{5}$
10 . 0	—	3 $\frac{1}{2}$
8 . 0	—	3
6 . 0	—	3

Quis comparando haec experimenta inter se non videt, differentiam altitudinum tantum insensibilem in omnibus his tubis esse? ut

no. 2,

\* \* \*

no. 2. 3. et 4. vbi differentia est paucarum tantum linearum in tubis tam diuersae longitudinis; ex reliquis vero, vbi altitudo fluidi aequatur fere altitudini tubi, nihil pro certo concludendum est, quod inde patet, quia in siphone *fig. 8.*, cuius alterum crus capillare est, aqua quanquam iam in capillari ad oram C pertingit, si in ampliori tantum ad *ab* peruenit non defluit, donec stet in ampliori supra *ed*. Sed auctor ipse monet „non nimis cito proportionem esse assumentam inter altitudines aquarum et longitudines tuborum.“ Fatetur etiam, hic anomalias dari. Itaque falsus est experimentis suis, quae post eum eosdem effectus nemini ostenderunt. Iam cum ex falso experimento conclusio vera peti nullo modo possit, saltem inde non sequitur assertum: „Caussam eleuantem aquam per totam tubi longitudinem esse diffusam.“ Accedit, quod semper eadem maneat altitudo aquae eleuatae supra libellam, quoisque tubulus immagratur. Ceterum in tanta ambiguitate Carreus a Muschenbrockio non moneri ita debebat: „Quamobrem nonnulli dantur casus, in quibus idem tubus diuersae longitudinis ad eandem altitudinem aquam eleuat, qui casus procul dubio Carreum in errorem coniecit.“ Pergit auctor: aerem superficie internae tubolorum aliquid illinere, quod instar olei vel obturaculi resistat aquae, atque vim eleuantem tubi tollat aut impedit; Caussam vero retardationis aquae ascendentis quaerit in attritu ad tubum, in aere hospitante in tubis et adhaerente parietibus, et in grauitate aquae. Problema itaque de determinanda maxima aquae altitudine in tubo gracilissimo solui geometrica posse ex tribus caussis dubitat, nempe quia 1) de magnitudine vniuersiusque particulae aquae, 2) de proportione inter altitudinem aquae et longitudinem tubi, et 3) de quantitate asperitatis parietum tubi nondum satis constat. Sed caussa secunda cadit, ergo duae ramenta restant. Ex catalogo altitudinum, ad quas diuersa fluida ascendunt, patet, ascensum fluidorum in tubis capillaribus neque fieri in ratione grauitatum specificarum inuersa, neque in ratione subtilitatis, fluiditatis, aut tenacitatis suae, neque pendere ab aere premente quoconque, sed a caussis singulis, quae specificè obtinent inter fluidum et tubum vitreum.

Ex

Ex lentiori aquae in tubos conicos, quam in cylindricos, ascensu colligit, aerem esse in caussa; attamen ego nolim cum autore consentire, quia res ita ad hypothesin Sturmianam reddit, cum nunquam tubus capillaris summo rigore sit cylindricus, sed omnes conici. Neque ad aerem configere opus est, cum caussa satis pateat inde; quia in ampliores tubulos aqua lentiuit ascendit, quam in graciliores.

Sub finem tandem dissertationis auctor ex suis experimentis concludit, caussam eleuantem aquam neque aerem atmosphaerae crassiore, neque fluidum aere subtilius, neque tenacitatem liquorum et proinde adhaesionem eorum ad latera tubi esse, sed attractionem, vel eam vim viuieralem, qua duo corpora a se remota sua sponte ad se accendant, quam accessum mutuum appellare manuit, vocatis insuper in auxilium gravitate liquoris, et connexione particularum aquearum inter se. At vero satis miror, hunc autorem nunquam crassitie tuborum suorum rationem in experimentis habuisse; namque cum vel crassissimi tubi fluidum non ad maiorem eleuent altitudinem, quam gracillissimi, si modo idem habent orificium, saltem caussam indicare debebat, quae facit, ut gracilior tubus eadem vi attrahat fluidum, quam crassior. Neque etiam omnia phaenomena explicat ex principio suo; et quae adfert, non satis explicat. Non enim dixisse sufficit: „Haec vis „(attractionis intell.) agit in unum liquorum magis quam in „alium. „ Qua de causa? Resp. „Veluti magnes fortius attrahit hoc corpus alio. Hinc, pergit, altissime eleuantur vrinæ, humilius spiritus salis Ammoniaci et Aqua, „ etc. Quid quod etiam experimenta falsa inde explicat? e. g. istud de altiori fluidorum ascensu in longiores tubos; vbi „quoniam haec vis agit „in distans, inquit, a tubo longiori plus liquoris eleuantur quam „a breuiori; decrescit tamen virtutis robur, quo plus a puncto „corporeo, e quo quasi exundo agit, abest; — hinc etiam a „tubo longissimo non multo plus liquoris eleuantur, quam ab alio „insigniter breuiori. „ Nemo vero post auctorem vidit fluidum altius ascendere in longiorem tubum, quam in breuiores, si orificia sunt aequalia. Neque etiam hoc in casu consilium, satisfac-

D

cit,





cit, quod auctor iis dat, qui rem inuestigare accuratius cupiunt, et ita se habet: „Quod si hanc vim sub forma radiorum recta ex „quolibet superficie puncto conceperis, clarissimam eius formam, ibis ideam, atque nullum occurret phaenomenon, quod perspicientiam effugiet, aut solui illico non poterit.“ Namque si vel maxime in longissimo tubo ex quolibet superficie puncto radii concipiuntur, tamen, quia in eo non nisi contactus aquae cum pluribus radiis, quam in brevioribus tubis, oritur, iste contactus non est in proportione cum effectu tam exiguo, quem vidisse auctor solus fatetur.

### C O R O L L A R I A.

1. *Omnis numerus primus, exceptis 2 et 3, differt unitate a multiplo senarii.*
2. *Matheos et Phystices imperitus Oeconomus non est.*
3. *Log. o in tabulis trigonometricis male ponitur == o.*
4. *A° est = 1, quicunque numerus pro a ponatur.*
5. *Perfectum vacuum effici non potest.*
6. *Geometra ex tribus angulis constitutere triangulum determinatum in campo potest.*







94A 7339

ULB Halle  
000 410 721

3



56.

1018



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue

Inches  
Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

DE  
**ASCENSV FLVIDORVM**  
IN  
**TVBIS CAPILLARIBVS**  
**COMMENTATIO PRIMA**  
QVAM  
**PRO LOCO**  
IN AMPLISSIMA FACVLTATE PHILOSOPHICA  
OBTINENDO  
D. XXVIII. IVL. CICIO CCLXXIII.  
PROPONIT  
PRAESES  
**CHRISTOPHILVS BENEDICTVS**  
**FVNCCIVS**  
PHYSICES PROFESSOR PUBLICVS ORDINARIUS  
RESPONDENTE  
**THEOPHILO SAMVELE FORBIGERO**  
LIPSIENSIS  
PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE CVLTORE  
LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA